

**2006-11-01 –SS Benedictus XVI – Epistula ‘Per Litteras’****BENEDICTVS XVI**

*EPISTULA IOSEPHO S. R. E.  
CARDINALI GLEMP DATA,  
ARCHEPISCOPO VARSAVIENSI  
ET POLONIAE PRIMATI*

*Venerabili Fratri Nostro  
IOSEPHO S.R.E. Cardinali GLEMP  
Archiepiscopo Varsaviensi et Poloniae Primati*

Per Litteras Apostolicas *Totus tuus Poloniae populus* die XXV mensis Martii anno MCMXCII datas, Decessor Noster Iohannes Paulus PP. II rec. mem. decrevit ut Tu, Venerabilis Frater Noster, etiamsi munus Archiepiscopi Gnesnensis reliquisti, titulum Poloniae Primatis servares.

Dum in praesens munus Archiepiscopi Metropolitae Varsaviensis ob aetatis rationem deponis, Te certiorem facimus Nos statuisse ut Tu titulum illum usque ad octogesimum vitae tuae annum teneres.

Ob historicas et iuridicas rationes quae sunt pro Sede Gnesnensi, prima scilicet Archidioecesi Metropolitana Polonica, ubi reliquiae asservantur sancti Adalberti martyris, Patroni Poloniae, idem titulus eo ipso tempore Archiepiscopo Gnesnensi restituetur.

Enixas denique referimus Tibi, Venerabilis Frater Noster, gratias singularemque aestimationem ob operam tuam hos complures annos indefessa sollicitudine pro archidioecesis Varsaviensis beneficio nec non totius Poloniae peractam, dum magna cum animi affectione Nostram Tibi impertimur Apostolicam Benedictionem.

*Ex Aedibus Vaticanis, die I mensis Novembris, anno MMVI, Pontificatus Nostri altero.*

**BENEDICTVS PP. XVI**